

† **R. P. Renatus Saget.**

(*Prov. Paris.*).

† **R. P. Renatus Saget.**

(*Prov. Paris.*).

Die 22 februarii a. 1847 natus est in Courbeville, vico in regione Mayonne Galliae sito. Pater agricola fuit. In familia vere christiana a pia imprimis matre ab infantia erga Iesum in cruce patientem et in SS. Sacramento praesentem, necnon erga Beatam Virginem devotione eruditus est, qua re animi, quo Redemptoristam potiri oportet, elementa paene cum matris lacte hausit. At de sacerdotio Renatus, cum adulescens patrem in agris colendis iuvaret, non cogitavit, nisi cum ad annum aetatis duodevicesimum pervenisset. Tum vero non ad vitam religiosam, sed ad sacerdotis saecularis statum capessendum animum convertit. Primis itaque linguae latinae initiis a sacerdote quodam eruditus post novem huius scholae menses in tertium seminarii minoris ordinem ascendit. Ibi studia humanitatis absolverat, cum anno 1870 bellum exarsit. In curandis deinde militibus infirmis ipse variolarum morbo affectus est, quare non prius quam vere anni 1871 ad studia redire potuit. Die 22 maii a. 1875 sacerdotio initiatus vicarii primum in vico Loiron partes egit, at statim vitae

perfectioris desiderio captus de Congregatione SS. Redemptoris ingredienda cogitare coepit, a quo consilio iam non est abstractus.

In noviciatu, quamquam sacerdos omniumque natu longe maximus, humilitate ac modestia eminebat, qua ultimum locum occupare velle videbatur. Post septem noviciatus menses dignus habitus est, qui venia pe-



culiari die 21 iunii a. 1880 ad sacra vota nuncupanda admitteretur. Deinde aliquot menses magistro noviciorum socius affuit, mox autem Dunkercae et Insulis sacris missionibus operam dare iussus est. Sed iam sedecim mensibus post, quam vota religiosa professus est, superioribus eius et vitae peritiam et virtutem perspectam habentibus ad graviora munera vocatus est administranda, in quibus deinde totam fere vitam egit.

Iniquis tum temporibus noviciatum extra patriae Galliae fines exulare oportuit, quare de nova domo huius rei causa Strati in Hollandia condenda cogitabatur. Ad eam itaque praeparandam instruendamque P. Saget delegatus est. Mense decembri anni 1881 domo noviciatus adornata in studentatu Dongensi minister et iuris canonici lector constitutus est. Quatuor annis post Parisios vocatus Rectori, qui multum domo aberat, in regenda communitate adiutorio magno fuit. Anno denique 1889 magno suo stupore domus Stratensis Rector simulque noviciorum magister lectus est. Quod autem eius stuporem, id aliorum plausum maximum movit, et P. Saget exinde triginta quinque annos continuos sex domibus nostris praefuit, Strati, Dunkercae, Mouscronii, Argentomi, Rhedonibus, Glimiis, omnesque hae domus eo Rectore multum profecerunt.

Dunkercae sacellum nostrum, quod ab insectatoribus clausum erat, iterum cultui divino reddidit, sodalicium S. Familiae instauravit, opus navitarum, qui ope spirituali destituti erant, adiuvandorum provexit, effecit denique, ut missionum aliorumque laborum apostolicorum numerus eximie cresceret. Alteram domum Mouscronensem (*Rue de Courtrai*) exornavit rebusque necessariis ipse instruxit. Cum Argentomi Rector esset, labores apostolici eius opera ita increverunt, ut altera in illis regionibus domus Rhedonibus instituenda esse videretur, quam impedimentis omnibus superatis ipse anno 1913 stabilivit regendamque primus suscepit.

Prae ceteris autem P. Saget operosa sua industria id efficere contendit, ut labores apostolici fructus afferrent constantes, qua in re mira erat eius sollertia. Ipse ad placidum potius dicendi genus quam ad grandes contiones habendas natus erat. Quod cum cognovisset, suum esse existimavit, ut partes primas praedicandi verbi divini aliis, licet non raro natu multo minoribus, concederet. In missionibus apparatu externo sollemni

populi multitudinem attrahebat, sapientia ac studio ardenti confessarii a S. Alphonso instructi convertebat, conversiones vero perseverandi adiumentis firmabat, quorum instituendorum arte nemo eum aequavit. Nec minus operam dedit, ut operariorum apostolicorum numerus augeretur adulescentesque, quos a Deo ad munus apostolicum vocatos invenisset, Deum vocantem audirent et constantes sequerentur. Argentomi parvum juvenatum instituerat, et tantum persecutione ingruenti res ad irritum redacta est. Neque bello autem, neque persecutionibus a consiliis suis persequendis deterritus est, et quamquam non semel in eo fuit, ut ministris publicis indicatus in vincula coniceretur, tamen a laborando non destitit, quamdiu per oboedientiam licuit. Pro Dei gloria animarumque salute procuranda enim vel animam profundere paratus fuit.

Cum Rector esset, exemplo operae suae apostolicae moderandaeque domus sapienti ratione omnium admirationem, virtutum nobilitate hominis sancti famam adeptus est. Tam benignus erat erga omnes, ut unusquisque existimare posset se ceteris anteponi. Fratres laici eum sibi vere matris loco fuisse dicebant, apud omnes *boni Patris Saget* nomen celebre fuit. Regularis observantiae simulque salutis corporum aequae ac animarum sibi subditarum procurandae semper studiosissimus fuit, ita ut iam P. Desurmont quondam ei scriberet: «Euge, Pater egregie, bene et optime omnia facis!».

Restat, ut de religiosa P. Saget vita pauca dicamus. Vultu gravi atque constanti, cum esset indole placida et aliquantum lenta, vitae morumque simplicium ac rectorum imago fuit. Ingenio optimo praeditus studiis literarum doctrinam solidam adeptus erat, ita ut eo suasore multi uterentur. Praesertim iuris canonici peritissimus fuit, quare, cum novus codex prodiiisset, congregationes religiosae non paucae eum adierunt, ut earum constitutiones ad novas iuris normas accommodaret. At quamquam consiliis suis tam multos iuverat, numquam de hac re sermonem fecit, sed potius humilitati concedens de se suaque opera tacuit. Fide sincera ac pietatis sensu imbutus saepe diuque coram SS. Sacramento moratus ac fere semper precari visus est. Beatam Virginem piissimo filii amore dilexit, quem a matre eum didicisse vidimus. Caeremonias rubricasque ecclesiae vel minimas maximi fecit. In omni denique vitae eius habitu spiritus vitae internae conspiciebatur, ita ut nemo miraretur, quod in sermonibus cotidianis iterum atque iterum ad res divinas revolveretur. Ut ab oboedientia totus pendebat, ita etiam paupertatis amantissimus fuit, neque quidquam in conclavi suo retinere voluit, nisi res necessarias et illas quidem simplicissimas. Modestia in eo tanta erat, ut matrona quaedam, cum horam integram cum eo collocuta esset, se conspiciere non potuisse praedicaret, quo colore pupulae eius essent. Cum quondam tumor in capite ortus vitam eius in discrimen adduxisset et tandem a medicis eum incidi oport-

teret, patientia vere admiranda per integras hebdomades sectionem praecedentes morbi dolores sine dubio saevos toleravit, et cum noctes sine somno, dies sine requie ageret, numquam tamen conquerens vel ob dolorem suspirans auditus est, ita ut P. Provincialis Nicolas diceret numquam huius patientiae memoriam ex animo suo esse discessuram.

Quis itaque est, qui miretur, quod multi in P. Saget regulam imagine quasi expressam se cernere dixerint? Immo vero sodalis quidam Belga, qui multum eius familiaritate usus erat, confessus est se naevum aliquem in hoc vero S. Alphonsi filio investigare voluisse, sed nihil profecisse. Et P. Provincialis, cum eum mortuum esse comperisset, « En », inquit, « verus Redemptorista decessit ».

Bello finito domui Glimiensi praefuit, quo munere cum tandem a. 1924 liberatus esset, minister ibi rerum temporalium curam et noviciorum confessiones audiendas suscepit. Annus 1925 quinquagesimus ei a suscepto sacerdotio futurus erat. Et re vera, quamquam P. Saget diem hunc festum non voluerat nisi parvum, immo vero parvulum, tamen sollemnia eius meritis digna celebrata sunt die 22 maii. Paulo post vero Deus ipse laboribus, a quibus senex nondum conquieverat, finem fecit.

Octavo post festum die valetudine adversa affectus est, quae cum aggravaretur cordisque languor accessisset, s. morientium sacramentis munitus est. Sodalibus domus astantibus P. Saget summa devotione ea suscepit et cum maxima omnium commotione gratias egit pro omnibus gratis beneficiisque in Congregatione acceptis, et si quem offendisset, veniam rogavit. Uti vixerat, ita deinde mortem exspectavit, bonus et quietus, patiens, semper orans, donec primis calendarum iuniarum a. 1925 horis placide animam Deo reddidit.

Corpus eius in coemeterio Glimiensi in conditorio nostro resurrectionem exspectat, animam vero caelo illatam inter sodales nostros coronam a S. Alphonso praedictam iam accepisse confidimus. R. i. p.!